



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 63. Notitia de Patriarcha Syriæ Romam adventu Synodo communicata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

§. LXIII.

*Notitia de Patriarchæ Syri Romam  
adventu Synodo communicata.*

*Pall. c. 9. n. 5.* Sedatis omnibus hisce disputationibus  
*Sarp. p. 557.* recitata est epistola Amulii Cardi-  
*Labb. p. 1245* nalis ad Legatos data, in qua idem Car-  
*Thuan. l. 32.* dinalis, utpote Orientalium Christiano-  
rum Protector, Pontificis nomine Synodi Patribus nuntiabat, quemdam Syriæ Patriarcham Romam adventasse, qui vocabatur Abdisse ex familia Mar, in urbe Gesire prope Tigrim natus. Erat is olim Monachus Ordinis S. Antonii, ac Muzalis in Assyria Patriarcha, qui Romam vix delatus confestim præsentibus Cardinalibus Sanctæ Sabinæ, Amulio, & Alexandrino suam fidei professionem die septima Martii hoc anno emisit, ac suo chirographo firmavit: de cetero Vir erat doctus, atque ex nobili, ac prædivite genere ortus, scripsitque de eo Amulius, quod per innumera viarum incommoda Romam pervenerit, Turcarum etiam, a quibus captus fuerat, non semel verbera perpeffus, unice autem ad urbem venisset, studio incitatus visendi SS. Apostolorum Petri, & Pauli limina, ac deosculandi pedes Christi Vicario, necnon ad discendi Ecclesiæ Romanæ instituta, & digni-

dignitatis suæ confirmationem a Sede **Sæcul. XVI.**  
Apostolica accipiendi. **A.C. 1562.**

Insuper Amulius significabat, quod Abdisse Romæ post plurium mensium moram satis omnes ritus, quibus antea in levioribus quibusdam a Catholicis discordabat, edoctus fuerit, ac jurejurando professus, quod obedientiam Romano Pontifici præstare, cunctaque in prioribus Synodis, præcipue in Tridentina observare velit: insuper nuntiabat Amulius, quod is fuerit in suo Patriarchatu a Pontifice confirmatus, necnon eidem in reditu pecunia suppeditata: de cetero autem pius ille senex, si per ætatem ipsi licuisset, ac nisi necessitas suorum populorum, in quibus ducenta fere capitum millia numerabantur, partim Turcarum, partim Lusitanæ Regis & Persarum imperio subjecta, ipsum ad reditum stimulasset, ad sanctum illud Concilium libentissime accessurus fuisset. His adjecerat Amulius, quod Patriarcha interrogatus de sacris literis, ritibusque usurpatis ab illis gentibus enumeraverit pariter eos, quos hæretici repudiant sacros libros, & commemoraverit cum parvo ab Ecclesia Romana discrimine nostra Sacramenta, præsertim vero occultam ad aures confessionem, ac similiter sacrarum imaginum venerationem

**Sæcul. XVI.** nem professus fuerit; ex quo videtur  
**A.C. 1562.** argumentum trahi adversus hæreticos,  
 qui ea quasi recentia inventa sperne-  
 bant; cum certum esset, eos populos,  
 vix hæctenus fama notos, non potuisse  
 aliunde illa accipere, nisi a prædicatio-  
 ne SS. Apostolorum Thomæ, & Thad-  
 dæi, & Marci ipsorum Discipuli: „sed  
 „hæc, scribebat Amulius, ex animi mei  
 „sensu dico: vos vero istis pondus melius  
 „addere poteritis: ceterum jussu Ponti-  
 „ficis mitto vobis Patriarchæ confessio-  
 „nem, & obedientiam Synodo jureju-  
 „rando promissam.”

Utrumque hoc scriptum in Synodo  
 prælegebatur: cum autem in hisce lite-  
 ris Patriarcha tanquam sibi obtempe-  
 rantes numeraret multas Ecclesias In-  
 diæ, in urbibus Regi Lusitano subjectis,  
 Orator Lusitanus denuntiabat in Sessio-  
 ne, quod nullum super illis jus ad Pa-  
 triarcham pertineret, sed solum ad Go-  
 num Archiepiscopum, totius Indiæ  
 Primatem, adeoque nullum inde detri-  
 mentum huic illatum haberetur.

§. LXIV.

*Decretum circa sacrificium Missæ  
 promulgatum.*

**Labh. p. 852.** Perlectis hisce literis Hydruntinus Ar-  
 chipræsul, qui rem divinam perege-  
 rat, decreta recitabat, inceptique ab illo  
 decreto